


- 15. Similiter & illa qua Bullis & Litteris Pontificiis de ſtylo inferi ſolet.
- 16. Abſolutio ad cautelam interdum datur ad petitionem alicujus.
- 17. Abſolutio ad cautelam multis ſæculis ignota fuit.
- 18. Presbyter ſimpliciter approbatus non abſolvitur à cenſuris refervatis; & de harum origine & progreſſu remiſſive.
- 19. Qui habet auctoritatem abſolvendi à caſibus refervatis Papa etiam habet abſolvendi à cenſuris eidem refervatis.
- 20. Idem videtur de cenſuris Epifcopo refervatis.
- 21. Quomodo facultas abſolvendi à refervatis concedenda remiſſive.
- 22. Abſolutio à cenſuris in Sacramento Penitentiæ tantum operatur in foro conſcientiæ.
- 23. Pro foro externo quoad refervatas Papa recurrendum ad Sedem Apoſtolicam; & quomodo abſolutio expediat.
- 24. De auctoritate Epifcoporum abſolvendi à cenſuris refervatis ex delictis occultis remiſſive.
- 25. An Judices Regis cogere poſſint Judices Eccleſiaſticos ad tollendas cenſuras.

**I.**  Xcommunicatum ab uno Epifcopo eſſe ab omnibus habendum tanquam excommunicatum, ſupra capit. 8. oſtenſum eſt. Hinc & hæc regula fluit ab omnibus paſſim probata, cenſuram ab homine latam jure communi & ordinario eſſe tollendam ab eodem à quo lata fuit.

**II.** Hic tamen non ipſa ſingularis atque individua perſona excommunicantis attendenda eſt; ſed ipſum officium ſeu dignitas, vi cujus auctoritas ferendi cenſuras competit illi qui cenſuram tulit.

Unde cenſura inſiſta per Epifcopum jure ſuæ ordinariæ jurisdictionis, poteſt eo mortuo ſolvi ab omni eo qui in ejus jurisdictionem ordinariam ſucceſſit; puta Capitulo Sede vacante, vel Vicario à Capitulo conſtituto, niſi reſtriſta auctoritatem acceperit; item ſucceſſore in Epifcopatum.

**III.** Quod ſi is qui cenſuram protulit, nolit eam tollere; credatque cenſuram innodatus, cenſuram eſſe injuſtam, aut ſaltem eatenus ſatisfeciffe, ut abſolutionem mereatur obtinere, jam pridem decretum fuit, ut in Synodo Provinciali bis quotannis celebranda ſe ſiſteret; ut hæc omnibus perpenniſ, vel cenſuram confirmaret, vel inſirmaret; eam vel injuſtam declarandum, vel ipſum querelantem à cenſura abſolvendo.

**IV.** Hanc diſciplinam exhibet Synodus Nicæna *Can. 5.* dicens: "De his qui communione privantur ſeu ex Clero, ſeu ex Laico Ordine, ab Epifcopis per unamquamque Provinciam ſententia regularis obſineat, ut hi qui abſciuntur non recipiantur ab aliis, Requiritur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Epifcopi vitio videantur à congregatione ſecluſi. Ut hoc ergo decentius inquiretur, bene placuit annis ſingulis per quamcumque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epifcopis Provinciarum congregatis, diſcutiantur hujusmodi quaſtiones, & ſic qui ſuo peccaverint evidenter Epifcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus aſtinentur, uſque quo vel in communi vel Epifcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam. Concilia verò celebrentur unum quidem ante Quadrageſimam Paſchæ; ut communi diſſenſione ſublata munus offeratur DEO puriſſimam: ſecundum verò circa tempus Autumni.

**V.** Juxta diſciplinam itaque hoc Canone firmatam, excommunicati à ſuo reſpective Epifcopo tanquam tales habendi ſunt, quoſque vel Epifcopis in Synodo congregatis, vel ipſi Epifcopo qui excommunicavit, placuerit humaniorem pro talibus ferre ſententiam.

**VI.** Supponit non obſcure ipſa Synodus Nicæna, excommunicationem latam ab Epifcopis à nullo, niſi à Synodo Provinciali poſſe inſirmari, neque ab hujus judicio ulterius appellari poſſe: quod & ipſe Chriſtianus Lupus in *Tract. De Appel. c. 12.* fatetur, dum de cenſuris in laicos aut inferiores Clericos prolatis agit: atque multis probant & magno ſtudio & ferventi animo ſuſtinerunt Epifcopi Africani in cauſa cujuſdam Appiarii Presbyteri à ſuo Epifcopo depoſiti & à Sozimo R. Pontifice in communionem ſuſcepti; uti videtur poteſt in his quæ obſervavimus ad Canones Codicis Africani.

**VII.** Hinc & Codicis illius *Can. 12 §.* ait: "Item placuit

ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in cauſis quas habuerint, ſi de judiciis Epifcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epifcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epifcoporum ſuorum. Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.

**VIII.** Gratianus quidem relato hoc Canone *cauſa 2. q. 6 Can. 35.* addit hanc clauſulam; *Niſi forte Romanam Sedem appellaverint,* quaſi Africani tranſ Mare appellantes, aliò quam ad Rom. Pontif. appellare conſueverint, uti notat Severinus Binnius ad *Can. 12.* Concilii Mileviani III. exploſdens ineptam hanc Gratiani exceptionem: qui ignorans priſtinam diſciplinam, Canones ſæpius ad ſui temporis diſciplinam retorquet; uti pluribus exemplis in notis ad Canones oſtendimus.

**IX.** Scimus enim tempore Gratiani morem fuiſſe, ut à Judiciis Epifcoporum non tantum ad Synodos Provinciales, aut Provinciarum Primates, vel Metropolitanos appellaretur; ſed inſuper ab horum judicio ad Sedem Apoſtolicam appellare liberum eſſe. Quod vel ex ſola declamatione S. Bern. adverſus abuſus appellationum ad R. Curiam conſtat; ac ſignanter *lib. 3. De Conſid. ad Eugenium Cap. 2. Et Ep. 17 §.* in editione Horſii ubi queritur, per has appellationes juſtitiam in Eccleſiis deperire, annullari claves Eccleſiæ, Epifcopalem omnino vileſcere auctoritatem. Vide latius ſupra *tit. 10. cap. 1.* ubi & verba S. Bernardi relata ſunt.

**X.** Poteſt ergo juxta recentiorum & modernam diſciplinam abſolutio à cenſuris impendi imprimis ab eo qui eas tulit. Si verò eam impendere recuſet, recurri poteſt ad ejus Superiorem v. g. ab Epifcopo ad Metropolitanum, à Metropolitanum ad Primatem aut Romanum Pontificem; ut cauſa diſcuſa ad Ordinarium abſolvendus remittatur, aut ſi abſolutionem recuſet ſuperior eam impertiatur, prout exprimitur in *Cap. 7. §. SANE De Sent. excom. in VI.* ubi dicitur: "Sane ſi certum eſt excommunicationis ſententiam eſſe juſtam, vel ut cum propter manifeſtum exceſſum eſt in alium quem promulgata: Superior judex (niſi periculum ſit in mora) excommunicatum ad excommunicatorem proſuſ remittere debet; nec debet eum abſolvere, niſi excommunicator requiſitus malitioſe illi abſolutionis beneficium denegat exhibere. Si verò conſtet hujusmodi ſententiam eſſe injuſtam, nequaquam remittendus eſt ad ſuum excommunicatorem excommunicatus: ſed debet ſine difficultate aliqua mox abſolvi. Quod ſi dubitetur, utrum juſta ſit vel injuſta Superior (niſi excommunicatori deferat) relaxare juxta formam Eccleſiæ poteſt illam: quanquam honeſtius & convenientius agat, ſi ei deferat in hoc cauſa. Ubi autem Superiori competit de excommunicatione cognoſcere, abſolutio ſeu relaxatio, quam ipſe fecerit, tenet, licet forſitan ſit juſta: quoniam eſt contra jus litigatoris, non tamen contra jus Conſtitutionis abſolvit.

**XI.** Et hæc quidem de abſolutione à cenſuris ab homine latis. Quoad cenſuras verò latas jure ſive late ſententiæ hæc regula communiter ſtatuitur: Si Pontifex aut Conditor Canonis earum abſolutionem ſpecialiter non reſervaverit, abſolvi unusquisque poterit à proprio Epifcopo imò & à proprio Parocho. Quæ Regula aperte traditur in *Cap. NUPER de Sent. Excom.* cujus hæc ſunt verba: "In ſecundo verò cauſa à ſuo Epifcopo vel proprio Sacerdote poterit beneficium abſolutionis obtinere; quamvis enim & tunc non judicis, ſed juriſ ſententiæ excommunicato communicans ſit ligatus; quia tamen Conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur aliis facultatem relaxandi.

**XII.** Obſervat Suarez *De Cenſuris Diſput. 1. ſect. 3.* nomine Epifcopi in hac Decretali intelligi Epifcopum proprium ipſius Excommunicati; item omnem illum qui in jurisdictionem Epifcopalem ſucceſſit.

**XIII.** Per proprium Sacerdotem intelligi proprium Parochum excommunicati notat idem Auctor: quamvis ex ratione ipſius De-

ipſius Decretalis intelligatur quilibet Presbyter habens auctoritatem abſolvendi tanquam miniſter Sacramenti Pœnitentiæ à peccatis *mortalibus*; præſertim, quia, uti ibidem *ſect. 4. n. 9.* rectè monet Suarez, quatenus munus illud exercent Presbyteri; ſubeunt vices & munus proprii Sacerdotis.

**XIV.** Itaque ut verbo dicam, omnis Sacerdos legitime approbatus pro confeſſionibus audiendis poteſt abſolvere ab excommunicatione aliſque cenſuris à jure latis non refervatis: quod & innuit formula abſolutioni Sacramentali præmitti ſolita: Abſolve te ab omni vinculo excommunicationis, & ſuſpenſionis interdicti in quantum poſſum ac indiges.

Hæc autem abſolutio dicitur ad cautelam: quæ etiam petenti, neque de aliqua ſe contracta cenſura hæſitanti, aut ſuſpicanti impenditur; & ſemper ſolet præmitti abſolutioni Sacramentali; ne alias abſolutio Sacramentalis propter cenſuram à penitente contractam invaliditatis periculo exponatur.

**XV.** Similiter & omnibus Reſcriptis, Bullis & Privilegiis Apoſtolicis inferi conſuevit ſub hac formula: *Te ab omni vinculo excommunicationis quod incurriſti, abſolventes, vel abſolutum fore ſententes:* ut nimirum hac mediante abſolutione, effectum ipſius Privilegii, vel alterius gratiæ conceſſæ poſſit conſequi non obſtante excommunicatione, ſi quam incurriſſe poſſuſſet. Unde & additur: *Ad effectum præſentium litterarum conſequendum & non aliàs.* Hæ abſolutiones ſolent etiam vocari *generales*; eo quod nullam ſpecialem cenſuram reſpiciant.

**XVI.** Interdum abſolutio ad cautelam conceditur ad petitionem partis cum nimirum dubitatur an excommunicationem incurrerit, vel excommunicatio injuſta ſit, aut denique ob periculum mortis aut certum & determinatum effectum jam obtinendum v. g. ferendi teſtimonium, comparandi in judicio, obtinendi beneficium &c. Quibus caſibus non omnino ſolvitur excommunicatio, ſed tantum quoad certum effectum aut durante impedimento, quo ſublato, ruruſ in excommunicationem reincidit, teneturque abſolutionem ab excommunicatione petere: ideoque hæc abſolutio dicitur *cum reincidenda vel ad reincidendum.*

Hujus abſolutionis mentio ſit in *Cap. 9. de Excep.* Cùm enim quidam Canonici Pragenſes vellet apud Sedem Apoſtolicam proſequi ordinationem Eccleſiæ Pragenſis, eſtque obſcurentur quædam ſuſpicionibus & amotionibus à beneficiis ſententiæ quas, ut ipſi dicebant, poſſent probare per teſtes idoneos & inſtrumenta: "Ne tamen (ait Pontifex) ordinationem Pragenſis Eccleſiæ, propter quam venerat, hujusmodi objectionis obſtaculo contingeret retardari, ſententiæ ipſas relaxamus ad cautelam.

**XVII.** Hæ abſolutiones ad cautelam uſque ad ſæculum 9. aut 10. quando excommunicationes frequentiores eſſe cœperunt ignote fuiſſe videntur; quia olim hoc jure utebantur, inquit Cajacius ad *Cap. 1. de Judiciis*, ne quis excommunicatus abſolveretur ante diſcuſſam finitamque excommunicationis cauſam, qui & ibidem notat Raymundum immutaſſe verba Canonis Africani (qui in dicto *Cap. 1.* referuntur) ut eum ad ſui temporis diſciplinam inſeſteret, addendo hanc clauſulam, *donec ſatisfactio præmiſſa fuerit abſolutus*, quæ deſumpta eſt ex *Cap. 23. de V. S.* in quo reſpondit Innocentius III. quod excommunicatus ob contumaciam abſolvendus ſit ſtatum atque ſatisfecerit, puta præſtitâ cautione judicio ſtandi, etiamſi criminalis cauſa nondum peracta fuerit. Ut plenius notavi ad *Canonem 87.* in Codice Africano.

Cæterum de hac ſpecie abſolutionis videri poteſt Joannes Tournetius in Tractatu *De Abſolutione ad cautelam*, inter Opera Franciſci Florentis.

**XVIII.** Hactenus dicta circa auctoritatem abſolvendi à cenſuris juxta citatum *Cap. NUPER* intelligenda ſunt, niſi abſolutio à cenſuris ſpecialiter Papæ aut Epifcopo vel aliis Prælatiſ ſit refervata: quæ refervatio poſterioribus ſæculis multum excrevit; ut ex dictis *parte 2. tit. 6. cap. 7.* colligi poteſt, ubi de Caſibus refervatis, eorumque origine, nec non ſcopo refervationis pluribus actum eſt.

Notatum autem ibidem fuit, à Caſibus Papæ refervatis neminem poſſe abſolvere extra neceſſitatem, niſi qui auctoritatem à Papa abſolvendi obtinuit.

**XIX.** Qui autem habet poteſtatem abſolvendi à peccatis refervatis in foro Pœnitentiæ, etiam poteſt abſolvere à cenſuris refervatis: eo quod omne peccatum refervatum Papæ habeat annexam cenſuram ſimiliter refervatam: cum ergo à peccato nemo abſolvi queat, niſi prius abſolvatur à cenſura illi annexa, neceſſe eſt, ut qui poteſtatem concedit abſolvendi à peccato, etiam concedat abſolvendi à cenſura.

**XX.** Licet autem nonnulli ſint caſus refervati Epifcopis, qui cenſuram annexam non habent; nihilominus ſi indefinite conceſſa fuerit ab Epifcopo licentia abſolvendi à refervatis, cenſebitur etiam data pro refervatis habentibus cenſuram annexam; & conſequenter ad abſolvendum à cenſuris refervatis, quæ caſibus ſive peccatis illiſ ſunt annexæ, & à quibus abſolutio dari nequit, niſi prævia abſolutione à cenſuris annexis.

**XXI.** Quomodo cum moderatione & prudentia hæc facultas concedenda ſit, ne alias refervatio caſuum & cenſurarum reddatur planè inuſilis, ac ſine quem Eccleſia intendit fruſtre tur, oſtendi ſupra *cap. 7.*

**XXII.** Notandum autem, quod facultas dari ſolita Confefaſiis ad abſolvendum à caſibus & cenſuris refervatis concernat dumtaxat forum *conſcientiæ* & Pœnitentiæ; non autem forum externum.

**XXIII.** Unde ut habeatur abſolutio à cenſuris aut caſibus Papæ refervatis pro foro externo oportet recurrere ad Papam, præſertim ſi agatur de peccati *publicis*; ſoletque in Dataria expediri commiſſio ad Ordinarium ejuſve Officiale, ut etiam juxta tenorem commiſſionis auctoritate Apoſtolicâ abſolvat: non ſecus atque in aliis diſpenſationibus & abſolutionibus fieri conſuevit.

**XXIV.** Quoad cenſuras ex delictis occultis Papæ refervatis auctoritatem ſatis amplam dedit Synodus Trid. *Seſſ. 14. cap. 6. De Reformat.* de cujus intellectu egimus *parte 2. tit. 10. cap. 6. & 7.* Cùm autem cenſuræ refervate labentibus ſæculis multum excreviſſent, atque ſæpe difficilis eſſet ad Sedem Apoſtolicam recurſus, Synodus Tridentina *Seſſ. 24. cap. 6. De Reformat.* declaravit, quod "liceat Epifcopis in irregularibus omnibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare." quid dicatur *occultum* aut *deductum ad forum contentioſum* ad ſenſum hujus Decreti, notavimus *parte 2. tit. 10. cap. 6.* & de excepta irregularitate ex homicidio voluntario ibidem *cap. 7.*

**XXV.** Porro cum auctoritas abſolvendi à cenſuris dependeat ab auctoritate *Clavium*, & poteſtate Eccleſiaſtica, etiam hæc integræ Eccleſiæ ejuſque miniſtris relinquenda. Hinc Synodus Tridentina *Seſſ. 25. cap. 3. De Reformat.* declarat; quod "neſas ſit ſæculari cuilibet Magiſtratu prohibere Eccleſiaſtico Judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti Decreto non ſint obſervata: cum non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertinet.

Dum in Belgio de promulgatione Concilii Tridentini agebatur, ad citatum Decretum notârunt Magiſtratus Regii uti reſert Antonius Anſelmo in Triboniano *Belg. cap. 32. §. 46.* "Verificulo, *Nefas autem ſit &c.* Magiſtratuſ omnibus ſe, verè interdicitur, ne excommunicationes Eccleſiaſticæ poteſtatis impediunt, aut jam latas revocari mandent. Hic ruruſ plerique obloquuntur, Judices Regios hac auctoritate ab omni memoria in Belgio uſos, ut cenſuras impedire poſſint, vel ad revocandum cogere Eccleſiaſticos, remedio immiſſionis in eorum temporalia quando exceſſus & abuſus id poſtulant. Alioquin tolli è medio remedia caſſationis & aliarum provisionum Regiarum, veluti quæ dicuntur *Proviſions en cas d'abus, voye de fait & autres*, quæ ſua conſultatione ajunt Brabant, præcipua eſſe auxilia tuenda Regiæ dignitatibus, & juriſ ſubditorum.

Sao in Belgio aliisque nonnullis Provinciis, magistratus Regios, etiam post Synodum Tridentinam, hac auctoritate usos; sed illud certum, id fieri nequaquam posse, nisi Judices Ecclesiastici notorie sua auctoritate, in oppressionem subdi-

torum, & turbationem Reipublice, abutantur; quemadmodum supra tit. 10. cap. 4. ostendimus, ubi de Appellationibus tamquam ab abusu egimus.

TITULUS XII. De Exemptione à Jurisdictione Ordinariorum.

CAPUT I.

Qualiter Monachi primitus subiecti fuerint Episcopis.

- 1 Monachi primitus fuerunt mere laici.
2 Plane à Clericis distincti, nec disciplina Clericali, sed Laicali subieciuntur.
3 Monachus in crimen prolapsus ut Laicus puniebatur.
4 Etiam poenitentia publica subdebatur.
5 Cum reliquo populo Ecclesias Parochiales frequentabat.
6 Distinctio Monachorum & Clericorum probatur testimonio S. Hieronymi.
7 Primis saeculis Monachi non magis quam reliqui Laici Episcopis subieci fuerunt.
8 Saeculo 5. specialiter Episcopis subieci ceperunt.
9 Id primis Synodo Calchedonensi suggestit Marcianus Imp.
10 Suggestum Marciano assensit Synodus Calchedonensis, Monachos Episcopis subieciens.
11 Ratio hujus subiectionis.
12 Disciplinam à Synodo Calchedonensi inductam probavit Justinianus Imp.
13 Hac Monachorum subiectio apud Graecos generaliter probata.
14 Placuit & Latinis.
15 Decretum Synodi Aurelianensis I. de hac Monachorum subiectione.
16 Conforme Decretum Concilii Epavesensis.
17 Item Synodi Aurelianensis II.
18 Quibus confirmat Arelatense V.
19 Et penè infiniti alii Canones remissive.
20 Conformiter ad hos Canones respondit Bonifacius VIII. de jure communi Monasteria subieci Ordinariis.
21 Hac restituit à Canonistis pro regula recepta.

His quae de Monachorum instituto vivendique ratione S. Augustinus lib. 1. De Moribus Ecclesiae Catholicae cap. 31. Cassianus Colat. 18. cap. 4. (quorum verba parte 1. tit. 24. cap. 1. relata sunt) aliisque Monachorum Patres scripserunt, manifestum est, Monachos ex suo instituto de sorte & genere laicorum esse; atque à reliquis fidelibus laicis distinctos penes solam perfectiorem vitae rationem, & majorem & arctiorem à mundi tumultibus ac saecularium hominum conversatione separationem.

II. Quare & Monachorum institutum, ab instituto Clericali omnino separatum & distinctum esse nemo Veterum dubitavit: ipsosque Monachos non disciplinae Clericali, sed laicali subiectos fuisse constat.

III. Si Monachi in crimen incidissent, non poenam suspensionis aut depositionis, quae erat poena propria Clericis; sed poenam excommunicationis, quae laicorum erat, subibant; uti constat ex Canone 2. & 8. Calchedonensi, Can. 82. Trullano aliisque multis.

IV. Patrum disciplina Clericum in crimen prolapsum à publica poenitentia eximebat, ne scandalum in populo generaretur, & Clericalis Ordo vileceret; at Monachus non secus ac quisvis de populo eidem subdebatur, uti constat ex S. Leone, qui ad Rusticum Episcopum Narbonensem scribit c. 12. Propositum Monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deserti non potest absque peccato. Unde qui relicta singularitatis professione, ad militiam vel nuptias devolutus est, publica poenitentiae satisfactio purgandus est. Plura in hanc rem videri possunt apud Molinum lib. 6. De Administr. Sacram Poenit. cap. 13.

V. Scitur quoquo Monachos tamquam laicos cum reliquo populo ad Ecclesias Parochiales primitus convenisse, ut ibidem sacris Mysteriis participarent, uti ex S. Athanasio in Apologia pro fuga sua, Paladio in Historia Lusiana in vita S. Apollo cap.

52. aliisque tam clarè eruitur, ut sine ulla hesitatione scribat Morinus loco citato lib. 2. cap. 17. num. 12. quod "Monachi, omnes si in urbibus, aut non longe ab us ipsos versari oportebat, ad Ecclesiam unà cum caetera plebe, loco tamen primo ut nobilior Dominici gregis portio secluri conveniebant.

VI. Denique notum est illud S. Hieronymi apud Gratianum Caus. 16. q. 1. Can. 6. "Alia causa est Monachorum, alia Clericorum. Clerici pastunt oves, ego pastor, illi de Altario vivunt, mihi quasi infactuosa arbori securis ponitur ad radices, si munus ad altare non defero.

VII. Cum igitur Monachi non de Clericorum, sed laicorum sorte essent, etiam Episcopis non aliter, quam reliqui laici subdebantur: nec in ipsos majorem, quam in caeteros laicos auctoritatem primis saltem saeculis Episcopi habuisse videntur: nec Canon aliquis reperitur, qui eos primis illis saeculis speciali ratione Episcopis subieciat: aut aliquam nominatim in Monachos auctoritatem Episcopis dederit. Quapropter per tria illa saecula nec quidquam de Monachorum à potestate Episcoporum exemptione aut immunitate legitur; sed Episcopis quemadmodum totius populi, ita & Monachorum sibi subiectorum Pastorem sollicitudinem, & curam paternam gerebant: ipsique Monachi Episcopos tamquam suos Patres spirituales, & Dispensatores mysteriorum Dei colebant, & reverebantur: caeterum tamquam laici legibus & potestati Principum & Magistratum saecularium subieciuntur.

VIII. Verum cum multiplicato Monachorum numero, & per varias regiones exiretis Monasteriis, ipsi Monachi à reliquo populo externo vitae genere magis continuo distingui, & insuper Ecclesiasticis negotiis, ac Ecclesiae regimini se immiscere ceperunt, visum fuit, Monachos, tamquam à reliquo populo singulariter vivendi ratione sejunctos, & Deo ac religioni specialiter consecratos, Episcopis amplius subieciere; ipsique Episcopis in Monachos & Monasteria ampliorem auctoritatem attribuerent.

IX. Id primum in Synodo Calchedonensi à piissimo Imperatore Marciano suggestum fuit, Legitur enim Actione sexta ejusdem Synodi, Imperatorem ad Sanctam Synodum dixisse: "Quaedam capitula sunt, quae ad honorem vestrae reverentiae vobis servavimus, decorum esse judicantes, à vobis hac regulariter potius formari per Synodum, quam nostram lege sanciri.

Primum inter haec ab Imperatore suggesta Capitula erat: "Eos qui verè & sincerè solitariam arripunt vitam debito honore dignos judicamus. Quoniam verò quidam sub praetextu solitariae vitae & Ecclesiarum & communis perturbant causas; placuit nullum quidem aedificare Monasterium praeter voluntatem Episcopi civitatis, neque in possessione praeter domini possessionis. Eos verò Monachos, qui per singulas civitates sunt atque provincias, subieci Episcopo, & quietem amplecti, & intendere solum jejunio & orationi, & neque Ecclesiasticis, neque publicis importunis rebus existere; nisi forte jubeatur eis propter necessariam causam ab Episcopo civitatis. Sed neque potestatem habere Monachos suscipiendi in Monasteriis suis servos aut inscriptitios praeter voluntatem dominorum.

X. Huic Capitulo à Marciano suggesto respondit Can. 4. ejusdem Concilii, qui his verbis expressit legitur ex versione Gentiani Herveti: "Qui verè & sincere Monasticam vitam aggrediuntur, digni conveniunt honore habeantur. Quoniam autem nonnulli Monachico praetextu utentes, & Ecclesias, & negotia civilia perturbant, & temere,

merè, citra ullam discriminis rationem, in urbibus circumstantes, quin etiam Monasteria sibi constituere studentes, visum est, nullum usquam aedificare nec constituere posse Monasterium, vel oratorium domum praeter sententiam ipsius civitatis Episcopi: Monachos autem, qui sunt in una, quaque Regione & civitate, Episcopo subieci esse, & quietem amplecti, & soli jejunio & orationi vacare, in quibus ordinati sunt locis fortiter perseverantes, nec Ecclesiasticis, nec saecularibus negotiis se ingerere, vel communicare propria relinquere Monasteria, nisi quandoque à civitatis Episcopo eis permittum fuerit nullum autem in Monasteriis servum recipi, ad hoc ut sit Monachus, praeter voluntatem sui domini. Eum autem qui hanc nostram definitionem transgreditur, definitus esse excommunicatum, ne nomen Dei blasphemetur: civitatis autem Episcopo oportet eam quam par est Monasteriorum curam gerere.

XI. Si articulus à Marciano Imp. Synodo suggestus, & Canon Synodi illi responderis expendatur, manifestum apparebit, specialiter Monachos, licet non in sortem Clericorum allectos, Episcopis subieci voluisse Marcianum, & huic consentientes Synodi Calchedonensis Patres; idque hac praecipue ratione, ne per Monachos Ecclesiae perturbarentur, ipsique Monachi cura & sollicitudine speciali Episcoporum quiete in suis Monasteriis jejunio & orationi juxta vocationem suam vacarent.

XII. Disciplinam hoc Canone ad suggestionem Marciani expressam, tam Interpretatores suis Legibus, quam Ecclesia à suis Canonibus firmarunt, & frequentissime renovarunt.

Et quidem Justinianus Imperator non tantum sancivit Novella 67. nullum Monasterium aedificari, antequam civitatis Episcopus orationem in eo faciat, & crucem figat; sed insuper Novella 123. cap. 2. statuit: "Si quis contra Clericum aut Monachum, aut Diaconum, aut Monasterium aut Altitiam habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimum Episcopum, cui (aut) horum unusquisque subiaceat.

XIII. Licet hic Monachus à Clerico distinguatur, nihilominus utrumque Episcopo eatenus subieci videmus, ut utriusque iudex Episcopus constituatur; unde & generaliter ex Nomocanone Graecorum dicitur in L. 40. Cod. De Episcopis & Clericis. "Monasteria degunt seculentur sub Episcopis territoriorum sitorum, & Abbatum quidem curam gerunt Episcopi, Monachorum verò Abbates.

XIV. Similiter per occidentem haec Episcoporum in Monachos & Monasteria auctoritas, horumque obediendi necessitas admodum placuit & generaliter recepta ac probata fuit.

XV. Patris à celebrata Synodo Calchedonensi habita Synodus Aurelianensis I. statuit Can. 7. "De Abbatibus, & in Religionis professione vi veniunt, ne sine discussione, & commendatiis Episcopi ad Dominos sive Reges accedere praesumant." Deinde Can. 21. ut Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra Regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant: Monachi autem Abbatibus omni se obedientias devotione subiciant." Apud Gratianum Caus. 18. q. 2. Can. 16.

XVI. Concilii Epavesensis anno 517. Can. 8. Abbates prohibentur res Monasteriorum sine consensu Episcopi vendere. Et Can. 19. dicitur: "Abbas si in culpa reperitur, & innocentem se asserens, ab Episcopo suo noluerit accipere satisfactionem, ad Metropolitanum iudicium deducatur. Quid evidenter Episcoporum in Abbates & Monachos auctoritatem probare possit?

XVII. In Synodo Aurelianensi II. anno 533. Can. 31. statuitur: "Abbatibus qui Episcoporum praeccepta despiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi consuetudinem susceptam humilitate deponant." Hac subiectionis nota major nulla dari posse videtur.

XVIII. Et Arelatense Concilium V. Can. 2. generaliter definit, ut "Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineat Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.

XIX. Infiniti penè sunt Canones & iam saeculo 9. & sequentibus editi, quibus uno consensu declarantur Concilia, Monachos obedire debere Episcopis secundum Canoniam auctoritatem: quae clausula indubie antiquos Canones, ac praesertim Calchedonensem indicatos & renovatos volvere. Concilia haec citata habentur ordine temporis servato in Repagulo meo Canonico parte 2. cap. 1. regula 1.

XX. Secundum hanc Canonum uniformem definitionem respondit Bonifacius VIII. in Cap. 7. De Privilegiis in 6. Ordinarium super sta jurisdictione in personas Regulares suae Diocesis de jure communi habere fundatam intentionem; atque, quod si qui se exemptum praetendunt, privilegium per se sufficiens, quando solo privilegio se defendunt, vel saltem tale, quod praescriptioni Canonicae causam praestet, cum praescriptionem allegant, non exhibuerint, Ordinarii suae jurisdictione tuti possint in eosdem liberè donec de praescriptione Canonica fecerint plenam fidem.

Rationem suae resolutionis addit Pontifex: Cum de jure communi Ordinariorum intentio sit fundata.

XXI. Quam regulam probant ac tuerentur utroque consensu Canonistae; eamque post Glossographum fundant in Can. 10. caus. 16. q. 7. ubi ex Concilio Aurelianensi Can. 19. dicitur: "Omnes Basilicae, quae per diversa loca constructae sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cuius territorio positae sunt." Hinc & illud Glossae communiter à Canonistis probatur: "Ad Episcopum pertinet omnis cura suae Diocesis, tam in Monasteriis, quam aliis Ecclesiis; scilicet de jure communi.

CAPUT II.

Saeculo sexto & sequentibus varia privilegia sive immunitates Monachis concessa fuere, sed salva Canonica & spirituali in Monachos auctoritate.

- 1 Saeculo sexto & sequentibus ceperunt privilegia & immunitates impetrari, ut quieti Monachorum & rerum temporalium conservationi consulerebatur.
2 Variis praetextibus & titulis temporalia Monachorum divertebantur, & eorum solitudo turbabatur.
3 Episcopi certam portionem ex oblationibus qua Monasteriis fiebant praetendebant.
4 Idque non obstante Canone Hierdensi.
5 Jura quadam in Ordinatione Monachorum exigebant.
6 Similiter pro receptione S. Chrisimatis & Oles.
7 Item in benedictionibus & institutionibus Abbatum.
8 Hugolino etiam jura praetendebantur in dedicatione & consecratione Ecclesiarum & altarium.
9 In visitatione Monasteria magnis sumptibus gravabantur.
10 Exigebantur insuper jura Synodica & Cathedralica.
11 Episcopi sibi attribuebant jus constituendi Abbates.
12 Nec non peragendi officia publica cum concursu populi in Ecclesiis Monachorum.
13 Privilegia & immunitates saeculo 6. & sequentibus haec jura demandat respiciebant.
14 Probatur ex responsu S. Gregorii ad querelas Monachorum Casselenses.
15 Item ex litteris ejusdem Pontificis ad Vigilum Episcopum Arelatensem.
16 Idem expressit S. Gregorius in Epistola ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum.
17 Expressit in litteris ad Abbatissam Massiliensem.
18 Apud Gratianum praefertur Canones pro immunitate Monasteriorum constati partim ex Epistola S. Gregorii, partim ex fide Concilio Romano.
19 Quis genuitus horum Canonum sensus; & unde desumendus; & Sanctus Gregorius providit quieti Monachorum non detrahendo auctoritati spirituali Episcoporum.
20 Eandem fuisse scopum privilegiorum quae circa ea tempora indulta sunt; probat Formula privilegii à Marcuso Monacho exarata.
21 Praefatio Episcopi elargientis privilegium in hac formula expressa.
22 Episcopus dicit omnia exprimenda quae ab Episcopo & Monachis mutuo respectu sunt observanda.